GASPARIS SCIOPPII
Cæsarij & Regij Consiliarij
DE ARAGONIÆ REGVM
ORIGINE, POSTERITATE,
Et cum primarijs Orbis Christiani familijs Consanguinitate.

Ad Illustriss. & Excellentiss. Principem

D. GASPAREM
REGIAE ARAGONVM STIRPIS,

Ex Barcinonis & Prouinciæ Comitibus Regulum de Ayerbe, Principem Cassani, Marchionem Cryptæ Aureæ, Comitem Simerij, &c.



MEDIOLANI,

Apud Io: Baptistam Bidellium. M. DC. XXVIII.
CVM PRIVILEGIO.

Summa Pontificij, Cæſarij, & Regij Priuilegij.

SAnctiſſimus D.N. Vrbanus VIII. P.M. & Ferd. II. Imp. Auguſtus, & Philippus IV. Rex Catholicus edictis cauerunt, ne quicquam quod ex Gaſparis Scioppij officina prodierit, etiamſi in aliud linguæ genus conuerſum ſit, proximis annis triginta à prima editi cuiuſque operis die numerandis ſine ipſius Scioppij, aut hæredum eius venia non modò typis deſcribere, ſed etiam ita deſcriptum væno exponere audeat, propoſita Anathematis pœna, à qua præterquam in mortis articulo non niſi ab ipſo Pontifice præuia quamuis ſatisfactione abſolui poſſit, aliiſq; multis pecuniarijs, ſicut in Diplomatis eorum latius continetur.

GASPARI AB ARAGONIA & Ayerbe Principi Cassani, & Cryptæ Aureæ Marchioni.

GASPAR SCIOPPIVS S. D.

REcte Seneca longum iter esse iudicat per præcepta, breue & efficax per exẽpla. neque enim quid faciendum sit, à præcipiente meliùs, quàm à faciente discitur. Hoc etiam in se boni habet exemplum, quod persuadet fieri posse quicquid præcipitur, & verecundiæ stimulis alios ad imitationem impellit. Ignauiæ enim assignetur necesse est, si quis inde absit, quò priùs alios cætera pares adspirasse constet. Multò tamen maiùs domesticis maiorum, quam externis alienorum exẽplis põdus inest. Sic enim fert natura, vt quos plus amamus, eorum similiores esse nos velimus, quod similitudo potentissimum sit amoris lenocinium. Magis etiam consentaneum est pudore torqueri eum, qui tam degeneris abiectique animi se perhiberi sentiat, vt nec maiorum suum exemplis ad capessendam virtutem excitari potuerit. Rectè proinde, Princeps nobilissime, istoque ingenij tui cultu ac iudicij elegantia dignum facis, cum id potissimum operam tibi dandam censes, vt carissimi filij tui non alia magis disciplina, quàm eorum, à quibus originem ducunt, exemplis imbuantur, & ad virtu

tis amorem inflammentur. Inter omnes enim maiores suos vnum modò vitiosum, & otio ac voluptatibus deditum intueri possunt, Berengarium puta Barcinonis Comitem, cæteros verò omnibus regijs virtútibus admirabiles, ac propemodum humanæ sortis modum supergressos. qui ergo abesse potest, quin eorum ad virtutis studium animos accendat, cum in eiusdem Berengarij ignaui Filium Raimundum Berengarium intuentur, qui XII. Reges Mahumetanos acie victos tributum sibi pendere coegit, rebusque incredibili virtute gestis meruit, vt *Propugnator & Murus Christiani populi* cognominaretur? cum de huius ipsius nepote cognomine legunt, eum trecentas ædes sacras condidisse, ac vectigalibus auxisse, quatuor Reges iusto prœlio victos vita & Regnis pariter exuisse, ob eximias denique animi dotes, & spectatissimā in bellis fortitudinem præ omnibus dignum fuisse visum, cui regni Aragonici Sceptrum deferretur? cum Alfonsum II. Regem *Casti*, Petrum II. *Catholici* cognominibus insignitos, & multiplicem vtriusque in armis virtutem prolixè prædicatam inueniunt? cum Iacobum I. cognoscunt tricies cum Mahometanis acie congressum vicisse, Valentiæ, Murciæ, ac Balearium Insularum Regna, subactis aut exactis Christianæ Fidei perduellibus, imperio suo adiecisse, duo ædium sacrarum millia Christo ac Sanctorum cælitum honori statuisse, *Expugnatoris* denique appellationem magno totius orbis assensu meruisse? Sed quid me lōgiorem esse attinet, cum haud quisquam nisi penitus hospes in historijs omnisque veteris memoriæ imperitus ignorare posit, nullum post homines natos Regum fuisse genus, cui eadē, quæ Aragonio, felicitas obtigerit, vt cum omni

pro-

probro nataliumque vitio perpetua eorum series careret, tum in ea ne vnus quidem inueniatur, qui non in armis virum se præbuerit, neque exscindendę Arabum impietati, & Hispaniæ ea peste liberandæ vitā quotidiè discrimini offerre dubitarit. Habuit quidem & Castellanorum regum series iam inde à Veremundo I. Rege, qui annis ab hinc 836. obijt, multos egregios, rebusq; pro Christi nomine proq; patriæ libertate gestis gloriosissimos Heroas, non vno tamen nomine vsu venisse eis apparet, vt fortunatiores Aragonij fuisse videantur. Primum enim tres inter Castellanos recēsentur fæminę, quæ alieni sanguinis viris enuptæ, regnum ad eos transtulerunt. Sanctia enim Alfonsi V. regis filia maritum suum Ferdinandum Magnum Sāctij Aragonij filiū Castellæ regem fecit, eius verò ex filio Alfonso VI. neptis Vrraca Raimundo Burgundiæ Comiti, hoc est, homini Gallo nupta regnū Castellæ dotale ad eum attulit. Isabella tandem Iohannis II. Regis filia etsi Ferdinando nupsit, Castellani, non Aragonij sanguinis Principi, filiam tamen Ioannam Philippo Austrio elocauit, eoq; factum est, vt quatuor diuersæ Regum familiæ inter Castellanos numerentur: quod contra inter Aragonios inde ab Eximino Rege Innici Aristæ patre vsque ad Ranimirum II. filius patri semper hęres & successor fuit, inter Barcinonensis vero sanguinis Principes, & Aragonum Reges eorumq; posteros iam inde à Gotfrido primo vsq; ad te 24. gradibus virilis sexus ordo continuatur. Deinde inter Castellanos Reges quatuor vitio nati siue nothi reperiuntur. Veremundus quippe secundus Ordonij III. non ex Vrraca legitima vxore, sed expellice Eluira filius fuit, & ipse ex Geloira concubina Alfonsum V. suscepit Sanctius IV.

Mariam Infantis Alfonsi de Molina filiam, patris sui cōsobrinam, incestis sibi nuptijs iūxerat, adeoque filius eius Ferdinandus IV. à Bonifacio VIII. Pontifice, vt natalibus restitueretur, siue legitimaretur, precibus obtinuit. Henricum denique secundum Eleonora Guzmanna, nobilissima quidem fœmina, nec regio matrimonio impar, non tamen iusta vxor Alfonso XI. produxit. Sed in omni Aragonū Genealogia vsque ad Iacobum I. Regem nihil probri aut vitij apparet, siue ad veteriores ex Suprarbiensium stirpe Reges, siue ad Barcinonenses Principes origo eius reuocetur. Ab eo porro vsque ad extremum posteritatis gradum, quem tu in eodem Stemmate vna cum genero tuo *Francisco & Iacobo* eiusque fratribus, sororis tuæ *Dianoræ* ac *Marij Ayerbij* filijs obtines, nihil quod natales cuiusquā probrosos reddat inuenitur, quidquid tandem sit de *Petri Magni* Regis matre, Hungariæ Regis filia, etsi ad vestrum Ayerbiorum honorem non mediocriter facere intelligo, quod ipse Iacobus Rex pater eius partim in secreta peccatorum cōfessione, partim in Testamenti tabulis se sibi Teresiam Aegidij de Vite aurea vxorem despondisse ex eaque Petrum Ayerbium legitimè suscepisse agnouit. Tādem inter Castellæ reges nonnulli exstiterunt Historicorū stilo turpibus ignauiæ, crudelitatis, perfidiæ, & impietatis erga Deum ac parentes notis insigniti, cum e diuerso ex Aragonijs, siue Suprarbiensis, siue Barcinonensis generis, vno dempto, quem dixi, Berengario, neminem similium vitiorū notatum, ac non potius variarum virtutum rege dignarum laude affectum inuenire liceat. nam vt de Iacobi Expugnatoris in regno successoribus, consanguineis vestris, prætcriens aliquid attingā, quo

niam

niam de ipso eiusque maioribus iam dictum habemus, filius eius Petrus cum Siciliam Nicolao III. Pontifice auctore velut dotale vxoris regnum sibi ac liberis vindicasset, ac propterea à Nicolai in Pontificatu successore, homine Gallo, diris deuotus omnibusque regnis suis eius sentētia deiectus fuisset, Philippum Galliæ Regem cum ducentis hominum millibus Aragoniæ fines ingressum, vt regni scilicet à Pontifice inusitato liberalitatis genere sibi donati possessionem caperet, quamuis à Nauarræ rege, & à fratre suo rege Balearium palam oppugnatus, à Castellæ verò rege perfide proditus ac desertus, ea tamen animi præsentia & magnitudine sustinuit vltroque adoriri ausus est, vt tantum non supplicem sibi fieri coegerit, & filij eius precibus delinitus ipsi, vt cœptam domum itionem an fugam perficeret, nihil moræ aut negotij facturum se receperit: qua quidem re non minus, quam pietate & erga sedem Apostolicam obseruantia vel inimicissimi cuiusque assensu *Magni* cognomē meruit. Huius filij tres, Alfonsus *Benefici*, Iacobus *Iusti* cognominibus insignes, Aragoniæ reges, Fridericus denique Siciliæ Rex inuicto animi robore commemorabilis, quo Fortunam, quotiescumque cum ipso congressa est, feliciter superauit, nemine eiusdem ætatis regum posteriores fuere. Alfonsum IV. Iacobi Iusti filium, actus ex Sardinia triumphus & singularis exempli humanitas, quæ *Benigni* cognomen ipsi asseruit, inter æquales Reges insignem faciunt. Sed neque filium eius Petrum IV. res fortissimè gestæ non quantauis laude dignissimum redderent, nisi aliquanto acerbius, & erga consanguineos præcipue implacabile ingenium commendationem virtutum eius pæne euerteret.

In ista igitur maiorum & consanguineorum suorum exempla tamquam in speculum intuentes liberi tui non habebunt, cur aliam virtutis disciplinam aut Philosophi scholam requirant, quos vt pro viribus imitari contendant, operæ pretium fuerit scito illo C.Marij subinde aures eorũ personare, Nobilitatem maiorum, Regũ præsertim ex omni memoria clarissimorum, quales Aragonios fuisse nullam habet controuersiam, lumẽ esse posteris, quod nec bona eorum, nec mala latere, aut obscura esse patiatur. Sed ne fortè Historiographorum errore, qui Barcinonensium Comitum genus iam olim defecisse, & cum omni Ayerbiẽsis imperij vestigio peremptum esse tradiderunt, animi eis relanguescerent, aut illorum tanquam ad se non pertinentium imitandi cupiditas retardaretur, faciendum mihi visum est, vt præcipua generis vestri monumenta ac testimonia ex tenebris eruta in totius orbis cõspectu collocarem, eoque pacto planum facerem, stirpem Barcinonensium Principum, & Aragoniæ regum in octingentesimum annum Dei propitij benignitate iustis matrimonijs propagatam hodie quoque in numero esse, neque qui ex ea sunt superstites, non satis dignos suis maioribus inueniri. Neque tamen mihi Ayerbiorum virtutes, & erga Reges Aragonios ex Castellanis, & Austrijs ortos merita exsequi oratione libuit, quod partim sint recenti memoria, partim regum ipsorum tabulis luculentè testata, quos sicut filios tuos sedulo imitaturos, suamque fidem regi Catholico vtilemq; siue in otio, siue in negotio operam probaturos confido, similiter de Regis ipsius pietate & iustitia non aliud expectandum eis arbitror, quam vt erga consanguineos nihil à maiorum virtute degeneres sic

ſe exhibeat, vt cum rationi & æquitati, tum legum Hiſpaniæ monito paruiſſe prædicetur. Tu Princeps nobiliſsime, hoc meum de nomine ac genere tuo bene merendi ſtudium boni conſules, idque velut amicitiæ noſtræ monumentum meæque erga te obſeruantiæ pignus in publico exſtare patieris. Vale. Neapoli a.d. xvi. Ianuarij Anni Chriſtiani 1627.

PARTITA SEV DIGESTO Secundo Legum Hiſpaniæ Titulo octauo de Imperatoribus, & Regibus, Lege prima.

AMar home à ſu linaje es natural coſa, e pareſce bien, & faciendoles parte de aquel bien, que Dios le fizo, es mui guiſada coſa, porque lo da en lugar, que es como en ſi. E porende toda honrra e biẽ, que les faga, tornaſce como en el miſmo. E ſin todo eſto, quando el bien fiziere a ſu linage, porque le haian de amar, ningunos homes no le ſiruiran mejor que ellos. Onde por eſtas razones conuiene alos Reies, que los amen e los honrren, faziendoles algo a cadauno dellos ſegund lo mereſciere e entendiere que lo aman.

Titu-

Titulo XVI. Lege ſexta.

DE vna ſangre ſon llamados aquellos, que han parenteſco entre ſi, e como quier que ſon todos iguales, non lo pueden ſer en las honrras e en las buenas andanzas deſte mundo. E porende non tan ſolamente deue el pueblo guardar al Rei en ſus fijos, e en ſus fijas, mas aũ en los otros ſus parientes por honrra del, e porla alleganza del linaje que con el han.

TESTIMONIA
DE REGVLORVM
Exericæ & Ayerbis origine ac poſteritate.

BERNARDINVS GOMESIVS
De vita ac rebus geſtis Iacobi I. Expugnatoris Regis Aragoniæ. Libro X.

Concluſo Leonoræ diuortio antequam matrimonio Iolantis daretur locus, Tereſia Vidauria Aegidij filia, fœmina pernobilis venuſtiſsimaque, ac prudentiſsima, cum qua Regi Iacobo aliquot annos contubernij neceſsitudo interceſſerat, duobus ex ea ſuſceptis filijs, Iolanti ſeſe opponere, ſuoque matrimonio alterins impedire decreuit; propterea; quod conſciam ſibi diceret, ſe non

non cõtubernij modo,sed stabilis ac certi matrimonij iure esse Regi coniunctam, ideoque nuptialibus facibus illud cohonestare velle, quod plane iam non occulte, sed palam moliebatur,ac neque blandisRegis verbis à cœpto discedere,neque minis rursum ac indignatione deterreri poterat,quo minus procaciter in Regem debaccharetur, constanterque ipsum perfidiæ argueret: quoad venit Iolans,præsentique huius matrimonio Teresiæ futurum fuit explosum, acnihilominus ipsa in maximum Iolãtis odium incurrit.quare huius timens insidias sese ac filiolos ab eius præsentia & consuetudine subduxit: interim tamen ad Summũ Pontificem Romam aut abijt,aut misit illa,qui ipsius nomine Regem in ius vocarent, totumque matrimonij iudicium ad Pontificem deferrent, promittens se quidem non ante caussæ cessuram, quam mors alterutrum causa cadere coegisset. Itaque contestata lite diutiùs res in controuersia fuit, quoad Teresia grauissimo pro se dato testimonio non modò rẽ, sed Regem ipsum in summum atque extremum pęne discrimen adduxit.

Idem Libro XIV.

Rex adhuc Iolante viua denuo diuexari cœpit à Teresia Vidauria,cuius matrimonij causa ad Romanum Pontificem delata, & in ius vocato Rege lis contestata fuerat, quæ mãsit quidẽ integra, propterea quod nulla pro Teresia firma & grauia testimonia dicerentur,

dõ ec

Quia nimirū ex duobus matrimonij cōtracti testibus alter I itinere Romā suscepto obierat.

donec recurrens ipsa ad Episcopum Gerundensem, quem matrimonij conscium esse sciebat, ab eo obtinuit, vt clam per schedulam ille testimonium ad Pontificem mitteret: quo dicto matrimonium Teresiæ reuiuiscere, paulatimque diuulgari cœpit. De qua re literis suorum factus certior Iacobus, maximè vero de Pontificis animo in Teresiam propenso, tanta fuit ira succensus, suspicatus id nō alio, quàm Gerundensis testimonio, cui soli confitēs enunciauerat, fuisse patefactum, vt protinus non tā pro iniuriosa perfidia, quàm pro violato sacro Confessionis mysterio Episcopum ad se accersiri iusserit, cui Regiam ingresso atque in conclaue admisso subito, vt fama fuit, à cubicularijs, à quibus fuerat comprehensus, lingua excisa fuit, indeque Gerundam remissus.

Rex ergo confessus fuerat se Teresiā sibi matrimonio iūxisse.

Idem Libro XX.

Rege Iacobo mortuo fuere illico recitatæ tabulæ Testamenti, quod ipse Monpelerij ad VII. Cal. Sept. fecerat ante annos quatuor, suaque manu & sigillo obsignauerat. In quo donationes, regnorumque diuisiones Petro & Iacobo legitimis ex Iolante tamquam iusta vxore filijs factas approbauit. Iacobum, & Petrum ex Teresia Vidauria filios ante Iolantem susceptos eodem testamento legitimos declarauit: quorum natu maiorem Exericano opido & arce cum vniuersa eius ditione ac territorio in Valentino regno: minorē vero Ayerbio opido cum eius quoque arce alijsque opidis

Rex in testamento suo fatetur se ex Teresia filios legitime suscepisse.

dis in Aragonum Regno donauit, ea cōditione, vt alterutri sine liberis decedēti superstes succederet: vtroque autem orbato liberis, amborum oppida, arces & ditiones regno adiungerentur: nec non Petro & Iacobo prioribus sine filijs decedentibus, illos ad regna vocari, atque omnino fæminis etiam ex Iolante natis præferri voluit.

Hosque filiabus suis ex Violanta preferri in regnoꝝ hereditate iussit.

Iohānes Mariana Histor. Hisp. Lib. XIII. Cap. XII.

Violantem vrebat Teresiæ Vidauræ potentia, cuius amoribus Rex â prima ætatē implicitus, & aliquādiu exsolutus eam denuo recōciliata gratia, ac si carminibus iniecta væcordia esset, deperibat, eiusque ad arbitrium res priuatas & publicas gubernabat, prorsus vt eam tum superiori tempore, tum deinceps Violante defuncta iustæ prope modum vxoris loco & cultu habuerit: quem illa locum ambierat semel & iterum apud Romanum Pontificem pacti coniugij lite contestata. Nati ex Teresia Petrus Ayerbis, & Iacobus Exericæ Reguli.

Rex adhuc viua Violāta Teresiā pro legitima vxore habet non carminib⁹, sed consciētię stimulis actus.

Hieronymus Blanca in rerum Aragonensium Commentario.

Alios etiam filios Iacobum, & Petrum idē Rex habuit ex nobili fæmina Teresia Aegidij Vidaure vocata. Eos pater Rex præci-

puis

puis ditionibus donauit; priorem Exerica: Ayernio autem posteriorem: à quibus postea clarissimæ Exericarum & Ayeruiorum familiæ dimanarunt. Ipsa verò Teresia ad Zaidiæ monasterium, Valētiæ suburbano loco ab ea constructum secesit, in quo quamdiu vixit permansit.

Ibidem.

AYeruiorum duæ olim familiæ fuerunt, Regalis altera, altera patricia, quæ à regali patronymico Eximini nomine distingui consueuit. Ac Regalis quidem auctor ac parens fuit D. Petrus Infans Aragonum, Iacobi I. & Domnæ Teresiæ Aegidij Vidauræ filius. Is enim cum Ayeruij opido ac ditione donaretur à patre, D. Petrus Ayeruius vocitatus, Ayerue illud gentilitium nomen inde sibi impositum posteris suis hæreditarium reliquit. Sed iam pridem omnis eius euanuit posteritas cū Ayeruiensis illius veteris imperij vestigio.

Censura.

FVgit hunc scriptorem ratio in eo, quòd omnem D. Petri Ayerbij posteritatem defecisse arbitratur, cuius erroris socium habet Hieron. Zuritam Annalium Aragoniæ cōditorem, qui lib. xiv. c. xxij. scribit, anno M.CCCCXXIV. Madriti diem suum obijsse D. Henricum de Villena, postremum regiæ stirpis Aragonum eorum, qui recta virilis sexus serie iam inde à Gotfrido Barcinonis Comite primo legitimam duxerunt originem. Diligentissimus enim scriptor Iohannes Sobrarius Secundus Alcagnicensis Arago in Genealogia Dominorum de Ayerbe anno M. D. XII. scripta, Infantis Petri Ayerbij posteros vsque ad eius at nepotem

San-

Sanctium cum singulorum vxoribus distinctè enumerat; quem Sanctium vnà cum Alfonso V. Rege Aragoniæ ex Catalania Neapolim venisse, perque strenuam ei in asseren do Regno illo nauaße operam, filius eius Ferdinandus Rex Neapolitanus, tum Ferdinandus Rex Catholicus, & Carolus V. Imp. literis ac Diplomatis suis confitentur: in quibus obseruatione dignum est, quod huius Sanctij ab Aragonia filius, Alfonsus Perez de Ayerbe *nominatur. nam* Perez *patronymicum est nomen, notatque oriundum à Petro seu Pero, pro quo Græci* Petræus, *Latini* Petrinus, *Germani* Petringus *dicerent, sicut reges Francorum* Merouingos *vocant, qui à Merouęo,* Carolingos, *qui à Carolo originem duxerunt. Alfonsus ergo Perez de Ayerbe est, qui à Petro Ayerbio Aragoniæ Infante ortus est, sicut Belascus Ximenez de Ayerbe est is, qui Ximenium siue Eximinum de Ayerbe generis auctorem habet, quos ex patricia, non regia Ayerbiorum familia idem Zurita libro 3. cap.65. & lib.4.cap.88. commemorat.*

Verba Testamenti Iacobi I. Regis Aragon. conditi anno M.CC.LXXII.a.d. VII. Cal. Sept. in Monte Pessulano.

ITem filios nostros Iacobum, & Petrum, quos legitimè suscepimus ex Domna Teresia Aegidij de Vidaure, instituimus nobis hæredes in Castris & villis, quæ & quas dedimus eisdem cum chartis, prout in ipsis plenius continetur, videlicet Iacobũ proximè prædictũ in castris & villis de Xerica, &c. item prædictum Petrum filium nostrum, & dictæ Domnæ Teresiæ instituimus hæredem nostrum in

caſtro,& villa de Ayerbe, &c. Poſthæc autem volumus, & ſtatuimus ac mandamus, quòd ſi dictus Iacobus, filius noſter,& dictæ Domnæ Tereſiæ, ac filij eius ſeu deſcendentes ab eo legitimi maſculi in recta linea ſine filijs legitimis maſculis decederent, omnia prædicta, quæ ipſi Iacobo ſupra dimittimus, deuoluantur ad Petrum fratrem eius filium noſtrum,& dictæ Domnæ Tereſiæ, ſi vixerit: vel ad filios eius legitimos maſculos, ſi ipſe Petrus tunc non viueret,& hanc ſubſtitutionem ſimiliter faceret de Petro prædicto ad iam dictum Iacobum, & eius filios legitimos maſculos ſuper omnibus, quæ eidem Petro iure inſtitutionis & hæreditatis dimittimus, vt ſupra continetur ſi ipſum Petrum, vel eius filios, ſeu deſcendentes ab eo in recta linea legitimos maſculos mori contigerit ſine filijs legitimis maſculis: mandantes & ſtatuentes, quod in prædictis, quæ præfatis Iacobo & Petro, filijs noſtris, & Domnæ Tereſiæ dimittimus iure inſtitutionis, non poſsit hæreditare filia fœmina, vel alia, licet eſſet legitima, niſi filius maſculus & legitimus tantum: & ſi filia, vel filiæ legitimæ ſuperfuerint ex eiſdem Iacobo, ſiue Petro, ille maſculus, vel maſculi hæredes ipſorum, vel alterius eorundem, qui ipſa hæreditabunt iuxta noſtram inſtitutionē prædictam, ipſam & ipſas, vt decuerit, maritare. Item ſi forte Iacobus & Petrus prædicti, ac filij eorum, ſeu ab eis deſcendentes in recta linea legitimi maſculi obirent ſine filio, vel filijs legitimis maſculis, volumus & ſtatuimus ac mandamus, quòd omnia ſupradicta, quæ eis iure inſtitutionis damus ſuperius & dimittimus, deuoluantur ad dictū Infantem Petrum, filium noſtrum primogenitū, vel ad eius filium, vel nepotem, ſeu ad quemlibet aliū

ex

ex eo legitimum masculũ in recta linea descendẽtem, qui Rex fuerit Aragonum & Valentiæ: & si filia, vel filiæ legitimæ ex eis, vel eorum altero in hoc casu superfuerint maritandæ, aut de descendentibus in recta linea ab eisdem: ipse Infans Petrus, vel filius seu nepos eius, aut alius ab eo descẽdẽs, vt dictum est, ad quem prædicta deuoluentur, teneantur eam & eas idoneè maritare, & dare maiori quatuor mille marauetinos auri in casamẽtum, & vnicuique aliarum tria millia aureorum, &c.

Animaduersio.

IN secreta peccatorum Confessione Gerundensi Episcopo multis annis ante de matrimonio cum Teresia contracto fassus fuerat Rex: similiterque hic suprema sua iudicia ordinans, & ad mortem se comparans ex Teresia filios legitime sibi susceptos esse agnoscit. Cui iam ergo dubium esse queat, quin sola demum Teresia iusta eius vxor, Violanta verò Vngara perinde ac Berengaria Alfonsi de Molina Castellæ Infantis filia, contubernales modo, vel concubinæ eius fuerint? Qui ergo factum putabimus, vt Teresiæ filios legitimè ante Violantam ductam susceptos à Regni successione excluderet? Nimirum numquam futurum putauerat, vt Teresiæ coniugium Pontifex iustum ac legitimum esse decerneret, quod sciret alterum eorum, quos Teresia pacti matrimonij testes habuerat, in itinere Romam dicendi testimonij causa suscepto diem suum obijsse: hoc amplius nullam filijs eius iniuriam facere sibi visus est, si eos Regni hæredes non instituerat propterea, quod Alfonsum ex Eleonora Castellæ Regis filia susceptum, sibi in Regno successorem iam designarat, in eiusque ditionem subiectos sibi populos sacramento dicto adegerat. Postea verò natos ex Violanta filios, quod eius matrimonium omnes

homines legitimum arbitrarentur, nec Teresia causam suã Pontifici probatura videretur, Regnorum suorum hæredes designauit. Euenit quidem postea, vt ex Gerundensis Episcopi indicio res de contracto cum Teresia coniugio plana fieret, eamque propterea Rex velut iustam vxorem viua etiã Violanta in vita quotidianæ regnique consortium quamuis iam fortasse quadragenariam & exstincti floris denuo adsciesceret: neque tamen faciendum sibi putauit, vt Violantæ filios iure successionis in Regnis suis priuaret, in quo iã eos secunda omnium populorum sibi subiectorum voluntate collocatos habebat, quod id sine ingenti rerum omnium motu fieri nequaquam posse satis exploratum esset. Vt ergo turbæ, dissidia, bellaque ciuilia excluderentur, vinceretque publica vtilitas, Teresiæ filij culpam patris ac furtiuos amores ita luere necesse habuerunt, vt Iacobus quidem pro Aragoniæ ac Valentiæ Rege Regulus Exericæ, Petrus autẽ pro Rege Balearium, & Montispessuli, Ruscinonis ac Cerdaniæ Principe Ayerbij Dominus renunciaretur.

Iohannes Sobrarius Secundus Alcagnicensis in Genealogia Dominorum de Ayerbe.

INfans Petrus de Ayerbe vxorem habuit Aldonzam de Çeruera, quæ in dotẽ ipsi attulit aliquot arces & villas in Catalania, ex qua duos suscepit filios Petrum & Iacobum, eaq; defuncta duxit Neapoli Philippam Accorciamuram Comitis Celani filiam, ex qua nihil ei fuit liberorum. Prædictus Petrus Infantis illius filius primo duxit Mariam Ferdinandi de Luna, quã mox propter teneram nimis ætatem repudiauit, ac secundis nuptijs iunxit sibi Violantam Lascarem, filiam Guilhelmi Comitis Vintimillensis & Irenes filiæ Theodori Lascaris

Impe-

Imperatoris Constantinopolitani; ex qua natæ ei fuerunt duæ filiæ Constantia & Maria. Postea verò Ecclesiæ auctoritate cum hac secunda vxore diuortium fecit, quod prior adhuc in viuis esset. Filias tamen prædictas declarauit legitimas, quarum Maria Petro Cornel nupsit. Iacobus secundogenitus Infantis Petri Ayerbij filius possedit maternas arces & villas in Catalania, & admodùm iuuenis ante fratrem Petrum decessit vno solo filio Michaele relicto, quem ipsi vxor ex familia Moncada pepererat. Hunc Michaelem Petrus IV. Rex Aragoniæ patruò suo Petro Ayerbio succedere prætendentem exclusit propterea, quod is Infanti Ferdinando Dertusæ Marchioni in bello pro regni vnione aduersus ipsũ Petrum regem gesto adheserat, qui etiam Ayerbẽsem Baronatum eidem Ferdinando donauit, isque eum mox vendidit Petrò Iordano de Vrrias assentiente Rege Petro suo fratre, qui tunc regnabat, ex quo Iordane descendunt illi, qui hodie dicũtur de Vrrias. Vnde factum est quod oppidũ de Ayerbe alienaretur ab his, qui sunt de domo de Vrrias. Cæterum Michael præfatus in oppido de Ayerbe emit ædes sibi & prędia, & possedit ibi bona aliqua parentis, quæ post eius obitum sibi deuenerunt, & aliqua opida, scilicet Liso, Branlauilla, Valderassal & Paternoy, cuius etiam appellatus est Dominus ipse & eius successores, qui illud adhuc retinent. Verum hęc parua sunt, si ad ea referantur, quæ sui maiores habuerunt. Sed quamuis opidum de Ayerbe translatum fuerit in aliud genus, ipse tamen & sui posteri semper in eodem habuerunt domum cũ hęreditate, & molendinis, & ibidem fuerunt habiti, vt descendẽtes ex genere pręducto. Hic Michael supradictus ex Marisancia vxore suscepit filium,

cui nomen fuit Garsias de Ayerbe, item filiam Violantem, quæ nupsit hæredi præcipuo domus de Pomar, cui etiam opimam duxit dotem. Verũ Michael cum ab humanis decessisset, successit Garzias hæres, qui vxorem duxit Marchesiam Martini de Binies, ex qua suscepit filium Sancium de Ayerbe, qui duxit vxorem Mariam de Vrrias filiã Petri Iordanis de Vrrias, qui opidũ de Ayerbe ab Infante Ferdinando, vt diximus, emerat: qua causa præfatus Sancius, & eius successores in oppido habitarunt. Hic Sancius ex supradicta vxore tres genuit filios, & filiam vnã nomine Violantam, quæ virgo obijt. Filiorũ primus Garsias est appellatus, qui Sacerdotio dedicatus fuit, & Romę obijt. Secũdus Iohannes. Tertius Sancius. Sed Iohãnes patri hæres succesit, secutũsq; est obsequio Enricum Infantẽ Alfonsi Neapolitani Regis fratrẽ: qui Enricus in bello, quod Olmedi appellatur, in regno Castellę, cũ de vulnere, quod acceperat, parũ curat, obijt. qui dictus Iohannes in propriã domum reuertens Eleonoram de la Caualleria duxit vxorem, cuius Auus fuit Ferdinandus de la Caualleria, qui fuit Generalis Thesaurarius Regis Ferdinandi Aragonũ genitorisq; Alfonsi Regis Neapolitani, Pater verò fuit Petrus, qui fuit Magister rationalis Alfonsi prædicti. Ex qua Eleonora Iohãnes de Ayerbe prędictus suscepit filios masculos sex, fęminas totidẽ, quorũ primus Iohãnes nominatus paruulus obijt. Secundus Sancius ætate adulta sine filijs obijt, qui insignia mutata à Michaele restituit ad formã primorum parentum, quibus hodie omnes fratres vtũtur. Tertius Petrus, qui adhuc viuit, & possidet hæreditatẽ patris, & suorũ maiorum habitatq; Cæsaraugustæ, vbi habet vxorem, cui nomẽ est Isabella

de

de Gottor, ex qua adhuc non suscepit prolē. Quartus Iohannes, qui Neapoli in domo patrui obijt. Quintus Philippus, Sextus Philippus, qui in ætate infantili ab humanis decesserūt, &c. Tertius filius præfati Sancij vocatus est Sancius. Hic cū Rege Alfonso profectus est Neapolim. Hic vxorem duxit Neapoli nomine Blancā Sanz, ex qua filios genuit masculos sex: quorū Primus Ferdinandus, qui vxorē duxit, & ex ea habuit duas filias, & ipse obijt. Secundus Alfonsus, qui patri in hereditate succesſit, & hodie viuit. Hic vxorē habet Hieronymam filiā vnicam Antonelli Rufi in Regno Neapoli cū tota hæreditate parentis, ex qua filios habet paruulos. Tertius Sancius, qui nunc adolescens est. Quartus Camillus, qui obijt. Quintus Michael, qui etiā vescitur aura. Sextus Marius, qui adhuc exstat. Filias verò habuit duas, quarum prima Maria, altera Diana. Maria nupsit Andreæ de Capua, Duci Thermolarū, & Comiti de Cāpobasso, qui fuit Capitaneus generalis Sūmi Pontificis, & Ecclesiæ, & Regis Ferdinandi Catholici, qui superioribus diebus. s. mēse Decembri anni M. D. XI. vitam cū morte commutauit, cum Pontificis, & Ecclesiæ nomine Bononiā iret, eam liberaturus à Tyrānide Bentiuoliorum, & Ludouici Gallorum Regis. Diana vero nupsit Hectori Pappacoda Equiti aurato, Domino ciuitatis de Larino, quorum vterque adhuc viuunt. Sed huic Sancio, quem diximus patrem horum proxime dictorum, Rex Alfonsus exhibuit opidum de Simeri in Calabria, & alia bona, quę ipse dum vixit possedit, & nunc eius filij illis vtuntur. Sed Alfonsus est primus hæres, & dicti opidi dominus. Hic Sācius antequam obiret, ędificauit suis pecunijs quoddā cænobiū fratrum Prædicatorum

ſub inuocatione B. Catharinæ Virginis & Martyris in eodem opido de Simeri: quibus fratribus, ne alibi mendicarent, & vt honeſte viuerent, cenſus & tributa exhibuit, & ipſe cum abhoc ſeculo migrauit, iuſsit in eodem cænobio corpus ſuum ſepeliri, & poſtea eius vxor & filij, qui ab humanis deceſſerunt ibidem iacent ſepulti. Scriptũ anno M..DXII.

Hieron. Zurita Annalium Aragoniæ, Tomo I. lib. 3. Cap. 101.

EN su testamento, que se otorgò en Monpeller à veinte y seis del mes de Agosto de mil y doziẽtos sesenta y dos, confirmò el Rey D. Iaime las donaciones, que hizo à los Infantes sus hijos, y alos que huuo en Doña Teresa Gil de Vidaure, que declarò por su testamento ser legitimos, que se llamaron Don Iaime y Don Pedro. Al maior dexò los castillos y villas de Exerica, &c. y al menor instituio heredero en el castillo y villa de Ayerue, &c. declarando que en defeto de hijos legitimos sucediessen los de vna casa a la otra, y si en ambas faltassen, recaiessen estas Baronias en la Corona, y en caso que los infantes Don Pedro y Don Iaime muriessen sin dexar hijos legitimos successores, los nombra y substituie en la sucession de los Reynos y Señorios dela Corona de Aragon, &c. Casò en su vida à Dõ Iaime señor de Exerica con dña Elisa, hija de Don Aluar Perez de Azagra, señor de Albarrazin: y a Don Pedro señor de la Baronia de Ayerue cõ doña Aldonza de Ceruera, hija de Don Iaime de Ceruera, que tuuo algunas villas y castillos en Cataluña, cuios descendientes tomaron el appellido de Exerica y Ayerue, lugares principales de sus Baronias.

Eodem libro Cap. 84.

TEnia el Rey entonces (1273) en la frontera del Reyno de Murcia contra los Moros en guarnicion la gente de los Infantes sus hijos, que erã Dõ Iaime y Dõ Pedro, sus hijos y de Doña Teresa Gil de Vidaure, aquien en esta sazon llamauan Infantes, teniendolos por legitimos.

Eodem lib. 3. Cap. 66.

Anno 1264.

LOs ricos hombres de Aragon enla cortes propusierõ las quexas que tenian en general, principalmẽtẽ dauan querela del Rei, que por muchas vias los desaforaua alegando, que daua los lugares, que erán de honor, a estrangeros del reino, i a personas, que no podian, ni deuian ser ricos hombres, &c. Demas desto pretendian, que no deuia dar tierras en honor álos hijos, que tenia en Doña Teresa Gil de Vidaure, que dezian ser su muger velada, i les deuian ser quitadas i repartirse entre ellos.

In Conijs Arag. D. Teresia vocatur legitima & iusta, Regis vxor.

Cap. 67.

COnfessaua el Rei que los ricos hombres tenian razon en lo que pedian, que no se deuia dar tierra, ni honor a ninguno, sino mereciesse ser rico hõbre por naturaleza; i prometio que no se daria honor a rico ombre de otro reino: i tambien concedio, que no se daria tierra, ni honor, a los hijos, que tenia en Dña Teresa Gil de Vidaure, que dezian ser su muger velada.

Et infra extremo eodem capite.

Decreto Comitiorũ D. Teresia vocatur Regina & filij eius Infãtes.

TVuo el Rei Cortes a los Aragoneses en la villa de Exea, i en ellas se establecieron algunas leies, i entre otras se ordenó, que ninguno de los Reies diessen tierra, ni honor a ningun rico hombre que fuesse estrangero del Reino: i que el Rei no diesse tierra en honor a los Infantes sus hijos i de la Reina su muger.

Tomo 1. lib. 4. Cap. 31.

DOn Pedro Señor de Ayerne, tio del Rei Alonso el tercero, i que era principal caudillo de los que tenian la voz de la vnion, dio a Don Pedro suo hijo, &c.

Tomo 2. lib. 7. Cap. 30.

A La protestacion de la Reina Leonora, como Señora de las villas de Fraga i Aierue contradixo Pedro Cornel por razon de Dña Maria Perez de Aierue su muger, que fue hija de Dō Pedro de Aierue i de Dña Violaute de Grecia, que pretendia succeder en la Baronia de Aierue: porque Don Pedro Señor de Aierue no dexò hijos legitimos, i Dña Costanza, que fue la hija maior, murio donzella, i dexò heredera à Dña Maria Perez su hermana. En el año 1336

Tomo 2. lib. 8. Cap. 30.

PRocediose contra otros caualleros de la casa del Infante Don Hernando, que le siguieron desde la muerte del Rei Don Alonso, que eran Miguel de Aierue, &c. 1348.

Tomo 1. lib. 5. Cap. 69.

EL Rei Don Iaime II. quisiera que la hija del Iuez de Gallura casara con Dō Iaime de Aierue, hijo de Dō Pedro Señor de Aierue, que era primo del Rei i auia sido heredado en las villas i castillos, que tenia en Cataluña Doña Aldonza de Ceruera su madre. 1307.

Tomo 1. lib. 5. Cap. 23.

TRatò el Rey, que Dña Beatriz de Lauria, hija del Almirante Roger de Lauria casasse con Don Iaime de Exerica, que fue hijo de Don Iaime primer señor de aquella Baronia y de Dña Elsa hija de Don Aluar Perez de Azagra: que (Don Iaime) era vno de los mas principales ricos hombres de sus Reynos y su primo hermano: y descendiente de la casa Real por linea legitima de varon.

Et Cap. 66.

BEatriz de Lauria casò con Don Iaime señor de Exerica, nieto del Rey Don Iaime el primero.

Tomo 1. Lib. 4. Cap. 114.

MAria hija de Carlos II. Rey de Sicilia y de Maria hija de Esteuan V. Rey de Vngaria casò con el Infante Dô Sancho, que fue Rey de Mallorca, y despues de la muerte del Rey su marido casò segunda vez con Don Iaime Señor de Exerica, que fue nieto de D. Iaime señor de Exerica hijo del Rey Don Iaime: y por parte de su madre, que fue Doña Beatriz de Lauria, era tambien nieto del Almirante Roger de Lauria.

Tomo 2. lib. 7. Cap. 22.

EN el año 1335. embiò el Rey al Infante Don Ramon Berenguer para prestar la obediencia al Papa Benedito y procurar dispensacion para el matrimonio del Infante Don Guillen Duque de Athe-

nas

nas y Neopatria con Doña Maria Aluarez, hermana de Don Iaime y Don Pedro de Exerica, que erá parientes en tercero grado, porque el Rey Don Pedro de Aragon, aguelo del Infante Don Guillen, y Don Iaime señor de Exerica, aguelo de DñaMaria Aluarez, eran hermanos. Esto lo desseaua el Rey por respeto dela casa de Exerica, que era muy poderosa y principal en sus Reynos, y le era tan conjunta por legitimo parentesco, y los Reies de Françia i Mallorca, que estauan en esta sazon en Auiñon, lo procuraron.

Et Cap. 23.

EN el año 1335. murio Don Iaime señor de Exerica, que estaua casado cō la Reina Dña Maria hermana del Rey Ruberto, muger que fue de Dō Sancho de Mallorca, y tia del Rey Dō Alfonso IV. y notuuo hijos en ella. A Don Iaime succedio en la Baronia de Exerica Don Pedro su hermano.

Tomo 2. lib. 8. Cap. 27. & 19.

DOn Pedro de Exerica y Don Alonso Roger de Lauria su hermano señor de Cocentayna.

Tomo 2. lib. 7. Cap. 81.

MVños Lopez de Tahuste dismintiò à todos los caualleros de Don Iaime Rey de Mallorca, affirmando que Don Pedro de Exerica estaua aparejado de admittir à su igual ala battalla. Despues en presencia del Rey de Aragon y de los Infantes Don Pedro de Exerica dixo, que Don Iaime

de

de Mallorca y Don Artal de Pallas mentian como traidores en lo que contra el dezian, y que el estaua aparejado de poner las manos en Don Iaime de Mallorca, que no le podia rehusar en desafio de battalla, y à Don Artal de Pallas y a los otros daria sus iguales.

Tomo 2. lib. 9. Cap. 37.

EN el anno 1362. murio Don Pedro de Exerica, dexando vn hijo bastardo, que se dezia Iuan Alonso de Lauria y de Exerica.

Lib. 10. Cap. 8.

EN el anno 1369. murio Don Iuan Alonso de Exerica, que tenia grã parte del estado, que fue de Don Pedro de Exerica, su padre aunque no era legitimo, y por no dexar hijos, boluio ala corona aquella Baronia, que fue de los Señores de la casa de Exerica, que eran de la sangre real.

Tomo 3. lib. 12. Cap. 5.

EN el año 1412, como Don Antonio de Luna (hijo natural de Don Martin Rey de Sicilia) se viò fuera de su estado, que era grande y se comẽzaua à ripartir entre sus enemigos, pretendia suceder en el estado, que fue de Don Pedro de Exerica su aguelo, que fue vn gran señor de la casa real, y tuuo muchas villas y castillos, que auian buelto ala corona, o se auian agenado, y por esta causa se comenzò à llamar Don Antonio de Luna y de Exerica.

Animaduersio.

CVm vtraque familia Regulorum siue Infantium (quomodo Hispani legitimos Regum filios appellant) Exericanorum & Ayerbiorum gradu ac dignitate pares esset, mirabitur non nemo, vnde tanta sortis vtriusque nata fuerit dissimilitudo. Exericani Regibus pares censentur, Regum filias & viduas vxores ducunt, Reges tamquam gradu pares ad duellum prouocant, ab alijs regio fastigio humilioribus prouocati eos aspernantur, filijs eorum etsi spurijs aditus ad cernendam paternam hæreditatem non præcluditur. Ayerbij contra nullo propemodum numero habentur, & non modo a cernenda Exericanorum hæreditate excluduntur, sed etiam auita Ayerbiensis imperij possessione arcentur contra quam Rex Iacobus testamenti tabulis perspicuè constituerat. Verum hoc mirari desinet, si quis historijs legendis didicerit, quam ἄστοργον *& erga sanguine proximos acerbum, sæuum prorsusque implacabile fuerit Petri IV. Aragonum Regis ingenium. Infans Petrus Ayerbius libertatis publicæ se aduersus impotentem Regum dominationem vindicem ac patronum professus fuerat, & Priuilegium, quod vocant, vnionis Alfonso III. Regi extorserat; eius ex Iacobo filio nepos Michael Ayerbius eodem libertatis tuendæ studio, auspicio atque ductu Infantis Ferdinandi Dertusæ Marchionis contra fratrem eius Petrum IV. Aragoniæ Regem arma tulerat. Petrus Exericanus autem operam Regi Petro ad debellandum Ferdinandum abolendumque & omnino perimendum Vnionis priuilegium nauauerat. Hinc illæ lacrimæ. Hinc fauor Regis in Exericanum, odium verò plusquam Vatinianum in omne Ayerbiensis familiæ nomen. Deus tamen longe iustius iudicauit iudicium, vt sicut Ayerbij posteris euenisse cernimus, quod Psalmus cxi. Deum timentibus, & officium custodientibus promiserat:* Generatio rectorũ benedicetur:

cetur: *similiter in Exericanis verum esse appareat, quod ijs, qui hominum gratiam nimium aucupantur, Psalmus 52. comminatur:* Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent. *Sed neque Petri IV. ἀστοργία & in Ayerbios sæuitia alium fecit exitum, quàm quem id genus hominibus Psalmus* 108. *imprecatur:* In generatione vna deleatur nomen eius, & diripiant alieni labores eius, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & pro eo vt me diligeret, detrahebat mihi. *Nam in filio eius Martino exstincta fuit familia eius, & alienus siue extraneus, Castellæ nimirum Regis filius Ferdinandus, Regni Aragonici hæreditatem creuit, cuius ipsius quoque posteri masculini altera generatione defecerũt, quorum iusti hæredes & successores, Austrij sanguinis Principes regiam in Ayerbijs nobilitatem vltro agnoscunt suisque literis testatam faciunt, velut ex ipsis eorum verbis, quæ iam recitabuntur, apparet.*

Verba

Verba Ferdinandi & Elisabethæ Regum Catholicorum Hispaniæ in Diplomate dato in Villa Metinæ del Campo die xxx. Iunij Anno 1504.

NOs Ferdinandus, & Elisabet Dei Gratia Rex, & Regina Castellæ, Legionis, Aragoniæ, Siciliæ, &c. Nihil tam regium, quam gratitudo, quæ si in priuatis collaudatur hominibus, quanto magis in Principibus clara atque illustris habetur. Aragoniæ quidem domus Serenissimi reges, prædecessores nostri, immortalem gloriam, & famæ perennitatem cum ab alijs virtutibus, tum maximè beneficentia compararunt, dum gratijs profusissimè vtuntur in omnes, & de se bene meritis cumulatissimè ac cum fœnore beneficium referunt. Enimverò in Neapolitano regno inter cæteros, qui partes nostras sub vtraque fortuna fuerunt sectati, non præterit nos, quanta fidei constantia, dispendio & labore ac demum incommutabili voluntate vos Magnificus & dilectus noster Alfonsus de Ayerbe ductus feruore sanguinis Aragonensis, ex quo originem trahitis, pro nobis seruitioque nostro acriter & strenue militaueritis, cuius quippe fides obsequiaque subinde continuata nec immeritò à nobis exposcunt, vt supplicationibus vestris fronte iucunda & placido pectore annuere debeamus.

Verba Caroli V. Imper. in Diplomate dato Barcinone die xx. Augusti Anno 1519.

NOs Carolus diuina fauente clementia Electus Romanorum Rex, futurus Imperator Cęsar semper Augustus, &c. Ex veteri quadam & laudatissima Regum & Imperatorum institutione decretum fuit, vt viri meritis & virtute clari plurimis iure optimo ornamentis decorentur, &c. Cum itaque intellexerimus animi magnitudinem, bonarum artium integritatem, generis & prosapiæ antiquitatem, & aliorum bonorum naturæ, & fortunæ abundantiam vestri spectabilis, Magnifici, & dilecti nostri Alfonsi de Ayerua, cuius progenitores antiquissima stirpe Aragonum Regum initium habuerunt, & quæ SEMPER in eo pretio apud Aragonenses fuit, vt ex vetustissimis actis dignoscitur; vbi de cognomine de Ayerue inter principaliores Aragonenses sunt scripti & nominati; propterea Sancius de Ayerue pater prædecessor vester Magnifici Alfonsi de Ayerue sequendo laudabilem consuetudinem progenitorum suorum cum Serenissimo Alfonso primo Aragonum Rege clari nominis, ad Regnum Neapolitanum transfretauit, & in omnibus pugnis, & prælijs secutis pro acquirendo dicto Regno tempore eiusdem Alfonsi primi nusquam defuit: propter quod idem Serenissimus Rex Alfonsus pluribus gratijs & honoribus eundem Sancium de Ayerue insigniuit, donauit, & decorauit: cuius progenitoris vestri vos dictus Alfonsus de Ayerue laudabilem

lem consuetudinem sequendo & imitando, in recuperatione nostri Siciliæ citra Farum Regni ex innata fidelitate vestra partes Aragonenses sequendo, tempore fælicis memoriæ Catholici Regis Ferdinandi Aui nostri colendissimi multa & fructuosa seruitia suæ Maiestati prestitistis, nedum in Italia; verum etiam in alijs partibus, etiam Cæsariæ Maiestati Auo nostro clari nominis, & nobis seruiendo, & in nullis pugnis & in prælijs defuistis, ex quibus Deo duce victoria parta fuit, &c.

Verba Philippi II. Regis Catholici in Diplomate dato Madriti die 20. April. Anni 1583.

